culo pro tempore præfecti apud Alexandrinos Auguſtalis, & quæ ipſi parent cohortium, ſervetur.

CAP. II.

QUoniam vero fraudulenti hujus facinoris ponderatores monetariique autores ſunt, injunximus illi qui illos magiſtratus nunc obtinet, ut ad dandam idoneam cautionem ſe per abſolutam ſignaturam [1] contractibus miniſtraturos, &, ſi quando ſignare oporteat, tantum ſolummodo ſe inſcripturos, quantum revera quod ſignaverint aurum pendeat, ipſos adigat: ut pro eo more qui perperam hactenus obtinuit, non liceat illis amplius quam revera ſignati auri pondus ſit, ſignaturæ inſcribere. Si namque tale quippiam auſi fuerint, & bona illorum publicamus, & corporalibus pœnis ipſos ſubjicimus, ut qui ſecundum juſſa noſtra ab uſitato ſibi & conſueto ſcelere non deſtiterint. Sed & neceſſe omnino habebunt, ut tum præfecto apud Alexandrinos Auguſtali, quique pro tempore eum magiſtratum habebunt, in conſuetis frumenti emiſſionibus, tum vero etiam alabarchæ [2] qui nunc eſt, quique pro tempore futurus eſt, & ſacrorum noſtrorum theſaurorum præpoſito, nullo prorſus accepto lucro aurum ſuppeditent.

CAP. III.

ITa vero illi hujus rei curam injunximus, iiſque qui magiſtratum poſt ipſum ſuſcepturi ſunt & cohortibus quæ ipſis parent, ut ſciant, ſi pro obryzo aut a ſacrarum noſtrarum alabarchiarum [3] præfectis, aut a ſacrarum noſtrarum largitionum præpoſito quicquam exactum eſſe manifeſtum fiat, ſibi id de ſuorum ex ſuppeditatis ipſis, & cohortibus annonis tum etiam ex facultatibus ſuis dependendum fore: idque non ſolum donec in magiſtratu fuerint, verum etiam poſtquam magiſtratum depoſuerint: deinde etiam, ſive initis ab initio pactis (vetus enim illud de obryzo [4] non eſt, cœpitque temporibus admodum nuperis & recentibus) participes iſtius lucri fuerint, ſive etiam nihil iſtiusmodi pacti ſunt. §. 1. Aliis porro qui mercaturam faciunt, & hactenus lucri aliquid capere conſueverunt [5], interdicto ſimiliter denunciabis, quod ſi quid in contractibus capere pro obryzo, aut in computationem deducere comperiantur, & bonis excaſuri, & corporales [6] pœnas ſubituri ſunt. Rem perverſe cœptam, tantoque progreſſu facto univerſam rempublicam diſpendiis involventem, per præſentem legem in reliquum tempus tolli jubemus, ne de cætero contractus afficiat & obturbet: idque ita obſervari periculo præfecti apud Alexandrinos Auguſtalis, quique pro tempore eundem magiſtratum geſturi ſunt, & utrorumque cohortium. *Adeo autem id jubemus*, ut vel ejus memoriam aboleri *velimus*, quo a tanto incommodo & damno per Ægyptiacum tractum contractus *aliquando* liberi fiant.

EPILOGUS.

† Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc ſacram exprimuntur legem, gloria tua effectui finique tradi & obſervari jubeto. Dat. 6. Kal. Januar. *Conſtantinop.* Imp. DN. JUSTINIAN. PP. Auguſt. Anno XVII. [7] poſt BASIL. V. C. CONS. Anno XVIII.

EDICTUM XII.

DE HELLESPONTO.

PRÆFATIO.

EDocta noſtra eſt potentia, quomodo Joannes ſcriniarius per Helleſpontum, ut cui nomine ratiociniorum civilium, ſive (ut vocantur) ſolennium proventuum commiſſæ formæ eſſent, quum in regionem illam veniſſet, a nulla re, quæ ad ſummam deprædationem ſpectaret, abſtinuerit, civitates populatus ſit, & reverſus in almam hanc urbem, ipſe quidem auro abundaverit, Helleſpontiorum vero regioni omnem ſummamque paupertatem reliquerit. Ac ſane quomodo *idcirco* cum illo agi oporteat, & injuria affectis reſarciri damnum poſſit, *jam* a nobis definitum eſt.

CAP. I.

AT quoniam, propter eorum, quibus iſtiusmodi demandantur, inſatiabilem avaritiam, generali [8] *legis* forma univerſale iſti rei remedium adhiberi debere putavimus, ſancimus, ut ſi quis iſtiusmodi rei cauſa in provinciam quampiam ſive Helleſpontiorum, ſive aliam quamlibet profectus, præſidale juſſum habeat, ne quiſquam illi obtemperet citraque periculum ipſius exactio propulſetur: ſi vero cum ſacra pragmatica forma venerit, & quod profert commonitorium ſit, aut literæ de hoc conceptæ, neque iis obtemperetur, uti quæ ad deprædationem, præterque noſtram notitiam & voluntatem prodierint: ſin quod oſtenditur, pragmatica forma ſit, ut [9] ne ſic quidem ex eo confeſtim aliquid fiat, ſed talem pragmaticam formam provinciæ præſes apprehendat, de eaque ad nos referat, & alteram a nobis juſſionem expectet: ut ſi illam, cuique talis forma commiſſa eſt, agnoſcamus, altera noſtra pragmatica forma, quæ exactionem fieri demandet, procedat: ſin aut rem, aut perſonam reprobemus, nihil iſtinc fiat, ſed ſacra forma a provinciæ præſide remittatur, qui ſciat, quod ſi hanc rem neglexerit, indeque damnum aliquod ſubditis noſtris proveniat, iſtud ipſe de ſuo reſarciet.

CAP. II.

FAcultatem vero etiam epiſcopis [10] damus, ut ſi provinciæ præſes pragmaticam formam inhibere negligat, cuique illa demandata eſt, concedat & conniveat, eam rem nobis ſignificent. Ac ſi hoc didicerimus, illum tanquam criminis ſocium, de magiſtratu dejiciemus, cingulo quoque & facultatibus privabimus, & qui quacunque in re injuriam paſſi fuerint, iis indemnitatem recuperabimus.

EPILOGUS.

† Tua igitur excellentia, quæ nobis placuerunt, ex præſenti ſacra pragmatica forma diſcens effectui ſimul & fini tradere ſtudeto. Dat. 15. Kal. Septembr. *Conſtantinop.* BELIS. V. C. CONS.

EDICTUM XIII.

LEX DE ALEXANDRINIS ET ÆGYPTIACIS PROVINCIIS.

PRÆFATIO.

QUum vel minima [11] quæque noſtra cura dignemur, certe multo minus quæ maximi ponderis & momenti ſunt, ac rempublicam noſtram continent & conſervant, pro derelicto habere, aut neglecta competentique ornatu vidua eſſe debemus ſinere: præſertim cum tua excellentia miniſterio nobis ſit, cui per omnia noſtra incolumitas, rerum publicarum incrementum & ſubditorum noſtrorum gubernaculum curæ eſt. Conſiderantes itaque, quomodo ſuperioribus temporibus, tametſi aliis locis publicæ exactiones ſic ſatis conſtitutæ viderentur, in Ægyptiaco tamen tractu adeo confuſæ fuerint, ut quid in provincia ageretur, hic cognoſci non poſſet: ejus rei conturbatum modum atque ordinem, qui hucusque duravit, valde admirati ſumus. Sed Deus hoc etiam temporibus noſtris, tuoque officio ſervatum voluit. Ut enim nobis frumentum inde adjiciebant, ſic nihil aliud contribuere volebant. verum ſubditi omnia plene a ſe exigi omnino affirmabant: pagorum [12] autem præfecti, & reipublicæ adminiſtratores, publici exactores etiam, & præcipue pro tempore præſides hactenus eam rem ita adminiſtrarunt, ut nemini innoteſcere poſſet ac ipſis ſolis lucroſa eſſet. Quoniam igitur ſi rem in [13] genere ac promiſcue adminiſtrari ſinamus, haud unquam illam perpurgare decenterque conſtituere poſſimus: ideo magiſtratum qui Ægypti rebus præeſt (*Præfectorum* [14] *Auguſtalium* nempe) moderatioribus curis præficere viſum eſt. Non temere enim unius [15] hominis induſtria tantis [16] curis par ſit, nec ita rem adminiſtrare valeat, ut inde cujuſpiam boni ſenſus ad nos reſultet.

CAP. I.

PRopterea igitur ſtatuimus, ut excellentia tua hanc noſtram ea de re legem ad ſe receptam ſic formet atque ordinet, ut illam nos tuliſſe, tuam vero excellentiam miniſterium habuiſſe dignum ſit. In primis autem ſpectabilem *præfectum* Auguſtalem ipſi Alexandriæ [17] præeſſe, & omnium ejus rerum curam habere volumus, & inſuper duabus [18] Ægyptis, ac iis ſolis, excepto oppido Menelaita [19] dicto, quod Ægypto præjacet, & præterea Mareota [20]. De illis enim qui videbuntur, conſtituturi ſumus. §. 1. Volumus autem ipſum (ut dictum eſt) non uni Alexandriæ, verum etiam duabus Ægyptis, dictis Mareota Menelaitaque exceptis, *ita* præeſſe, ut magiſtratus provincialis dictarum duarum provinciarum (quomodo etiam hucusque obtinuit) ipſi ſoli ſubſit. Et (quod in idem recidit) *volumus* ſpectabilem *præfectum* Auguſtalem propter dictæ maximæ urbis [21] populoſitatem, magiſtratus militaris jus habere: non ut res dividatur, in duoſve magiſtratus diſtrahatur: (id enim conducibile eſſe omnino non putamus) ſed ut unus homo dicto ſolio præſit, & in omnes qui illic ſunt milites, ſive in ipſa magna Alexandrinorum urbe, ſive in duabus (ut dictum eſt) Ægyptis ſtationes habeant, jus & poteſtatem habeat.

CAP. II.

CUrare enim etiam te oportet, ut decorum in civitate ſervetur, neque tumultus quiſpiam in dicto populo oboriatur: & quum dicti magiſtratus præfectus, & civilis magiſtratus, vim & militum robur in ſubſidium habeat, (quod quantum ad ipſos milites, tum qui in Alexandria, tum qui in utraque Ægypto ſunt, vicarius ſit) ille Deo duce & auſpice dicti decori per civitatem ſervandi curam gerat: illique glorioſiſſimus generoſiſſimusque dux præſentalium [22], Orientalis etiam * [23] & adreſponſum [24] præſto ſint, & quæ is jubeat, in iis obſequioſi ſint. Eſt autem ipſi cohors & Auguſtaliana & Ducalis, militum plus minus ſexcentorum: non ut ſeorſum Ducales ſint, ſeorſum etiam Auguſtaliani: ſed ut una cohors, unaque recenſio ſit, in qua centum primates ſint, quinquaginta in Auguſtaliana cohorte, totidem inter Ducales: quorum

1 Ζυγοςάται, de quibus hoc edicto & *l. ult. C. de ponderator.* libripendes, ſeu ponderatores, ſigna ponderibus imprimebant, *ut hic*: eorum judicio ſingulis in civitatibus nummi probabantur, ut ex his appareat, quanta nummis in explorandis veteribus fuerit diligentia. Syneſius Aſclepiodoro ὡς ἀπηριθμήσαν, ὡς ἐζυγοςάθησαν, ὡς κατεσημαίνοντο τῇ δημοσίᾳ σφραγῖδι τὸ χρυσίον. Pſeudo-Plautus in *Querulo*, Quid tam ſimile, quam ſolidus ſolido? etiam hic diſtantia quæritur. In auro vultus, ætas & color, nobilitas, literatura, patria, gravitas atque adſcriptio, quæritur in auro plus quam in homine. Cujac. adde *d. l. ult.* Ut ad Zygoſtatas revertar, non dabatur iis excuſatio tutelæ, quantumvis in publica re occupatis, ut ad *l. 6. ff. de excuſ. tut.* notat Cujac. ζυγοςασίας fit mentio in *l. 1. C. de frumento Alexandr.* Verum eo loco ζυγοςάτης eſt, quo frumentum admetitur. 2 Κατὰ καιρὸν ἀλαβάρχῃ. *Scrimg.* de Alabarchis dixi ad *l. 9. Cod. de vectigalib. & commiſſ.* 3 Προεςῶτες ἀλαβαρχιῶν. 4 Obryzon quid eſſet, ſuperius dixi. 5 Obryzæ pro incremento ſolet aliquid exigi, ſi forte nummi, qui inferuntur, non ſint ex hujusmodi auro: verum hic prætextus illationi ſolidorum, qui ſunt ſpeciei probæ minime obtendi debet. 6 Sic in Baſilicis, κεφαλικῶς τιμωρηθήσεται ὅςις τὰ παλαιὰ ὄβρυζα ὄντα εὐτελεςέρως διατιμᾶται. 7 Id eſt, anno 545.

8 Edictorum hæc definitio eſt, *l. 3. C. de legib.* 9 Vetat imperator temere credi edictorum principalium latoribus, præſertim ſi in his de vectigalibus imponendis agatur. 10 Epiſcopi præſidibus negligentibus imminere poſſunt, facit *l. 26. C. de epiſc. aud.*

11 Minima quæque Imperatori quoque curæ eſſe oportet. 12 Πάγαρχοι. *Scrimg.* 9. Euſeb. 1. videntur eſſe, qui a Diodoro 1. βιβλιοθ. dicuntur νόμαρχοι. Erat enim diviſa Ægyptus in plures partes, quarum quælibet νόμος appellabatur, id etiam confirmat Plinius 5. *c.* 9. hinc præpoſitura pagorum *l. 2. Cod. de ſuſceptorib.* His locis permotus *Cujacius* ad *l. 9. Cod. de jure fiſci.* legit, Præfectum pagis, in *l. 1. C. Theod. de pignor.* & præpoſitum pagis, in *l. 49. C. Theod. de decur.* pro *Pagis.* 13 Ἐνομάδας. *Scrimg.* legendum ἐνομάδε aut καθ᾽ ὁμάδα ἐν ὁμάδι in univerſum averſione, de quo dixi ad *l. 62. in fin. ff. de contrah. empt.* 14 Vid. *l. 1. ff. & Cod. de off. præfecti Aug.* 15 Unus plurium vicem ſuſtinere non poteſt, unius hominis induſtria curis infinitis ſufficere non poteſt. 16 Poteſtas & juriſdictio præfecti Auguſtalis. 17 Innuit opulentiam Ægypti. 18 Ægyptus (quæ Mizraim ſacris ſcripturis & Chus Arriæ Montano) duplex. Superior, olim Thebais: hodie Sabid Joanni Leoni: Inferior, quæ & Delta antiquitus, poſtea Auguſtanica, vel αὐγουςαννίκη dicta eſt. Idem Leo refert Ægyptum hodie duas in partes diviſam & Orientalem *Bethria*: Occidentalem *Errif* vocari. Ammianus 22. paulo aliter refert, Tres, inquit, provincias fertur habuiſſe temporibus priſcis: Ægyptum ipſam, Thebaidam, & Lybiam: quibus duas adjecit poſteritas ab Ægypto Auguſtannicam & Pentapoſim a Lybia ſicciore diſparatam. De Ægypto vid. Herodotum 2. 19 Menelaita oppidum, olim Canopus, de quo ſic Ammianus *lib.* 22. *in fin.* Hactenus, inquit, impendio locus fanis & diverſoriis lætis extructus, auris & ſalutari temperamento perflabilis, ita ut extra mundum noſtrum morari ſe quiſquam arbitretur in illis tractibus agens, cum ſæpe aprico ſpiritu immurmurantes audierit ventos. 20 Mareia (μάρεια) πόλις καὶ λίμνη τῇ Ἀλεξανδρείᾳ παρακειμένη, ἡ καὶ μαρεῶτις λέγεται. *Stephanus.* hinc Mareotis nomos apud Ptolemæum, & Mareoticum vinum Stephanus. Mareotidos fit mentio apud Plinium 5. *cap.* 9. 21 Alexandriæ ſc. de qua vide Ammianum 22. *in fin.* 22 Στρατηγὸν τῶν πραισενταλίων. *Scrimg.* Præſentales, qui præſentes adſunt Præfecto Auguſtali, ut & præſentiales domeſtici, *l. 6. C. de advocat. diverſ. judicum.* ſeu præſentales *l. ult. C. de domeſt.* (ubi Græci præſentales παραςασίμους vertunt) *l. 13. C. de re milit.* præſentes milites, vel numeri *l. 18. l. ult. in fin. C. de re militari.* præſentalis curioſus curſus publici, *Notitia imperii.* præſentium ordines 17. Nicephor. 1. Hinc magiſter præſentalium militum, *l. ult. C. de re militari l. 12. l. ult. C. de offic. magiſt. milit.* qui ſunt in ſacro comitatu Principis, vel ut Arcadius loquitur, in præſenti *l. 21. §. 1. ff. de teſtibus.* Præſentale magiſterium. Marianus dicit fuiſſe duos comites militum præſentalium. 23 Τὸ * καὶ. 24 Adreſponſus ἀποκρισιάριος, quaſi legatus & vicarius ducis præſentalium militum. De apocriſiariis alias diximus.

inter ipſos ordo alternet, ut priores partes Auguſtalianus, alteras Ducalis habeat, quam centum inter ipſos primatum formam deinceps conſervari volumus. Cætera, ut ei qui magiſtratum obtinet videbitur, conſtituantur: ut tamen cohortis mixtim ex Auguſtalianis & Ducalibus conſtantis numerum, ſexcentorum militum ſcilicet, non excedat.

CAP. III.

OMnia vero quæ ſub illo ſunt, & ad tuum ſolium, & per excellentiam tuam ad nos referuntur: ut quod a vobis fit, ſi rectum & bonum ſit, autoritatem accipiat: & ubi cohors conſtituta fuerit, abſque probatoriis, quibus noſtra manu ſubſcriptum ſit, ut hactenus obtinuit, nemo Auguſtalianus fiat. Ipſa autem univerſa cohors Auguſtaliana appellabitur. Enimvero qui ab Imperatore deſignatus, Imperatorioque judicio dignus habitus, Magiſtratum aſſumet, & puras [1] manus conſervabit, & ſe in omnibus Imperatorio judicio dignum exhibebit. Neque enim nos tantum ſolummodo conſolationem, quantam usque ad hunc diem ſpectabilis Auguſtalis habet (ſpectabilis ſcilicet annonas, & quinquaginta capita [2] videlicet) ex publico illi dabimus: ſed magno auctario adjecto, quadraginta auri libras pro annonis, conſuetudinibus, & cancellis [3] quotannis ipſum accipere volumus: idque a vindice [4], & ex ſubjectis huic formæ locis & cauſis.

CAP. IV.

ADſeſſores autem ejus ex eiſdem quinque libras auri accipient, quæque ipſis apparet cohors, mille ſolidos: quamquam antehac tertiam ejus ſummæ partem ſolummodo habere ſolet. Ita res per ſe ſplendida erit, proque noſtrorum temporum dignitate adminiſtrabitur. §. 1. Ut porro ſolennis frugum illationis [5] recte procedat, id cujus qui iſtiusmodi magiſtratum tenebit, primam curam eſſe volumus: ut ipſe ſpectabilis præfectus Auguſtalis, & quæ illi cohors apparet, ſub bonorum ſuorum quæ in præſentia habet, quæque alioquin habituri ſunt periculo: cohortis vero etiam tanto periculo, ut non de his modo, verum etiam de ſalute & vita judicium ſubitura ſit, omnem curam & diligentiam ſubire debeat, ut dictum felicis [6] ſolennisque illationis frumentum & exigatur, & conſuetis temporibus emittatur. §. 2. Atque hoc quidem, quod ex utraque Ægypto contribui debet, exigat: aliud vero citra dilationem ſubjiciat, aut etiam navibus injiciet: quantumque canon ejuſdem ſolennis illationis, quæ in hanc almam urbem advehi ſolet, poſtulat, huc emittendum curabit. §. 3. Volumus inſuper ut ſimiliter [illegible]

CAP. V.

CÆterum quod *frumentum* ex locis ipſius juriſdictioni non ſubjectis exportatur, id eatenus inducere ipſi periculum & ſollicitudinem [illegible] vo-

lumus, ut poſtquam exportatum ſit, ipſe ſine ulla mora id ſuſcipere, & quæ ipſi paret cohors ad hanc almam urbem ſuo periculo devehere debeat. Summa etiam cum diligentia curabit, ne ex ſubjectis ipſi civitatibus, provinciis, quibuſcunque locis, portubus etiam aut oſtiis, prius frumenti quicquam exportetur, quam ſtata [7] illatio Alexandria ſolverit: ac vero ut ne tum quidem, extra quam ſi id a nobis per ſacras noſtras formas, aut ſoliorum tuorum juſſa permiſſum fuerit aut permittendum ſit. In omnibus autem cohortales quæ ipſis injunxerit (quomodo prius dictum eſt) ipſi miniſtrorum præſtent: naviculariique frumentum ſuſcipiant, navibusque imponant, atque Deo duce ad hanc almam urbem navigent.

CAP. VI.

SAne ſi ex utraque Ægypto frumentum non exegerit, neque illud huc [8] mittendæ felicis [9] ſolitæque illationis Alexandriam importandum, neque ante finem menſis Auguſti ad almam hanc regiamque urbem vehendum curarit: ſi etiam frumentum Alexandrinis a nobis in alimoniam elargitum, menſe Septembri in ipſorum urbem non importarit: ſciat, [illegible] artabas [10] pro ſingulis ſolidis a ſolio tuo & ipſe ſive magiſtratum adhuc obtinet, ſive privatus factus ſit, & heredes ſucceſſoresque ipſius exigentur: nulloque modo bona ipſius libera erunt, antequam quod inde debet, ad ternas æſtimatum artabas tuis menſis intulerit. Interim convenit omnino ut ad prædicta tempora ipſe ex utraque Ægypto plenariam etiam exigat.

CAP. VII.

QUandoquidem vero de ſolenni illatione tractatus connexum & inſeparabilem habet portoriorum titulum, volumus etiam, quæ ad ipſum pertinent (quo iſti negotio plene convenienterque proſpiciatur) certa juris forma comprehendere. Volumus igitur, ne in poſterum portoriorum ſuſceptor facultatem habeat, ut ſe quibuſcunque publicis vectigalibus immiſceat, ac nonnullis ſolvendo vectigali obnoxiis illud remittat: itaque quæ ἐνδομάτικα [11] nuncupantur (*quæ per indulgentiam & gratuito data dixeris*) accipiat, & publica inde negligat: ab aliis vero plus quam par ſit exigat, & plures ut violentius & ſupra conſuetudinem: & ac hinc confundendæ rei occaſionem initiumque capiat, portoria quidem recuſari non poſſe prætendens, ex rei vero confuſione ſuum commodum captans: & menſas quidem tui tribunalis deſpiciens, finem aut cauſa cuncta ad ſe trahere conans.

CAP. VIII.

QUoniam etiam tua excellentia vigilanter cuncta gubernans, nos docuit quantum [12] portoriorum canon qui ex Alexandria ſuppeditatur, ſubducta ratione conficiat, ſolidorum *videlicet octoginta* millia, (quippe quum quod frumentum tranſmittitur, in octogies centena millia exurgat) volumus, ex ſubjectis provinciis, locis & proventibus portoriorum ſuſceptori octoginta hæc ſolidorum millia dari. Quam largam liberalitatem ideo fecimus, ut ne quid omnino ex dilatione defectuve frumenti ſolennis tranſmiſſionis conficeretur. Spectabilis autem præfectus Auguſtalis, & quæ ipſi cohors ex Auguſtalianis

1 Nov. 17. c. 1. 2 Τὰ πεντήκοντα κάπιτα. *Scrimg.* Capita, pabula equorum dixi ad *l. unic. C. de annonis & capitat.* 3 Καὶ καγκέλλοις. *Scrimg.* [illegible] bolicæ ſpecies apud Vopiſcum. Alciatus *in d. l. ult.* interpretatur ſimpliciter, Embolam itineris ingreſſum: qui & alias notat Embola, ſignificare roſtra navium, & alia præterea de quibus *Hermolaus Barbarus* in corollario Plinii, ἐκβολὴν vero ejectum eſſe *in l. 3. §. 6. ff. de incendio.* quæ omnia parum vel nihil conferunt ad ſinceram hujus loci interpretationem. 7 Πρὶν αἰσίαν ἐμβολὴν ἀποπλεῦσαι. *Scrimg.* 8 Αἰσίας ἐμβολῆς. 9 Conſtantinopolim ſcil. 10 *Artaba hic & cap. 22. in fin. c. 23. in fin.* genus menſuræ Ægyptiacæ, modios quinque accipiens. Hieronym. 2. *in Eſai.* 5. *Ariſtophanis* interpres in Acharnenſibus. Ἀχάνη μέτρον ἐςὶ περσικὸν ὥσπερ ἡ ἀρτάβη παρ᾽ Αἰγυπτίοις. adde *Suidam* in ἀρτάβη. Atticum tamen medimnum facit *Heſychius*, qui & Medicam menſuram appellat. 11 Ἐνδομάτικα ſunt, quæ dat collector exactori, ut aliquid de exigendi ſeveritate remittat, vid. *l. ult. §. 1. Cod. de exactionibus tribut.* Eadem autem ratione dicuntur ἐνδομάτικα, qua ἐμφανιςικὰ, id eſt, inſinuativa, quæ clerici dant pro introitu, vid. *Novell.* 56. ἐνθρονιαςικὰ, ſeu inthroniſtica, ſeu Cathedratica, quæ ab epiſcopis vel Archiepiſcopis, thronum, id eſt, ſedem adipiſcentibus, *Novell.* 123. *cap.* 3. δικαςικὰ, quæ a litigatoribus dantur judici, *Novell.* 89. *cap.* 9. δεσποτικὰ, quæ Principi rerum domino, *Novell.* 8. εἰσδεκτικὰ, quæ a novo emphyteuta, *Novell. Leon.* 13. εἰσελαςικὰ, quæ athletis pro coronis, vid. *l. 5. Cod. quæ res pignori.* ἑρμηνευτικὰ, interpretatitia quæ interpreti, *l. 3. ff. de proxenet.* παραπομπικὰ, *Novell.* 128. *cap.* 9. & ἀγωγικὰ, *l. ult. Cod. de diſcuſſorib.* πρακτευτικὰ, ἀσπαςικὰ, *Novell.* 30. *cap.* 3. ἐπιδημητικὰ, pretia quibus ſe redimebant ab onere recipiendorum hoſpitum, *C. de metatis & epidemeticis lib.* 12. *Novell.* 134. *cap.* 1. ut & chartiaticum, *l. 6. ff. de bonis damnatorum.* pulveraticum, *conſtit. Theod. & Valentin. apud* Frontinum: *Novell. Leon. & Majoriani de Curialib.* Caſſiodor. 12. *Variar. l. 16. Cod. Theod. de tyronib.* v. Cujac. 4. *obſerv.* 18. *in fin.* πορνικὸν τέλος. *apud* Æſchinem γαμικὸν δῶρον, 37. *Ecl.* περὶ τοῦ ποιεῖν λόγους *&c. cap.* 2. Viaticum, *l. 79. ff. de judiciis, l. 1. §. 9. ff. de tutelæ & rationib.* Addamus & reliqua mercedum genera, legatis legativa, vid. *l. 2. ff. de legationib.* nutricibus Nutricia, *l. 1. §. 14. ff. de extraord. cogn.* quæ Græci τροφεῖα, obſtetricibus μαιῶτρα: ſervatoribus σῶςρα: liberatoribus λύτρα, ſive ἄποινα: præceptoribus δίδακτρα, huc facit *l. 12. §. 3. ff. de adm. tut.* Indici fugitivi μήνυτρα. 10. *Eclog.* 2. περὶ τῶν διδομένων. *ex lib.* 20. *cap.* 8. & 9. §. 2. *item tit.* 4. *cap.* 14. & *ibi ex tit.* 2. *cap.* 2. (Latini indicium, *l. 4. §. 4. ff. de cond. ob turp. l. 15. ff. de præſcr.* Paul. 2. *ſent.* 31. §. 20. Indicinam appellat Apulejus 7. de Aſino. εὕρετρα inventori rei *l. 43. §. 9. ff. de furtis.* εὐαγγέλια fauſto nuntio, vid. *Cod. publ. lætitiæ* 2. *ad Attic.* 18. Cerarium pro cera dabatur, Cic. *Verr.* 3. philantrophon proxenetæ, *l. 2. ff. de proxen.* honorarium advocato, *l. 10. §. 10. ff. de extr. cogn.* & menſori. *l. 1. ff. ſi menſor.* [illegible] linguarium quod pro lingua Seneca 4. *de benef.* Stipendium, tributum, ſalarium, quod dabatur pro victu: in quo principem locum tribuebant ſali. Unguentarium Plin. 2. *epiſt.* quod Marius Priſcus a provincialibus quaſi pro unguento exegerat, ſic vinum honorarium quod regibus & potentibus honoris gratia offertur. Cujus meminit Cato *orat. de innocentia ſua.* Fuſiones quoque fiſco præſtari ſolitæ, *l. 27. §. 3. ff. de uſufr.* vaſarium vero, quod pro vaſis & utenſilibus ex ærario tribuebatur magiſtratibus in provinciam ituris: ut legativum, quod legatis, *l. 18. §. 12. ff. de muneribus. l. 2. ff. de legation.* Balneaticum quod Gloſſis βαλανικὸν, quod pro balneo, ἐπικεφάλεια Ciceroni ad Atticum capitatio. Acceſſiones nummorum *eidem* 3. *Verrina*, id quod in locationes decimarum unius agri præter ſolitam mercedem exigebant, puta bina vel terna millia H. S. Equeſtre æs Feſto, quod equiti dabatur, ut & uxorium æs *eidem.* pœnæ quæ publice exigebantur ab iis qui uxores non habebant. unde ἀγαμίου δίκη. Sic eidem, Hordearium æs, quod pro hordeo equiti Romano dabatur, ut & *eidem autori* Curionum æs, quod dabatur Curioni ob ſacerdotium. Columniarium vero, vectigal erat columnis impoſitum a Cæſare, ut ea ratione ædificandi inſaniam coërceret. Cic. 13. *ad Attic.* 6. συγχαριάρια, ſive συγχάρια, præmia publicæ lætitiæ nuntiatæ, 56. *Eclog.* 17. *cap.* 65. Velatura, plauſtrorum merces Varroni 4. *de lingua.* Clavarium quod in Caligatorum clavos impenditur Tacit. 3. *Hiſt.* φιλικὸν quod datur amicæ, *l. 6. in fin. Cod. de naviculariis* puto id eſſe, quod noſtri vocant, *Don gratuit.* Calcearii meminit Suetonius in Veſpaſiano *cap.* 8. Camelaria quod pro Camelis alendis datur, *l. 1. l. ult. ff. de munerib.* Nuptiale vero munus quid, vide *l. 13. §. 2. ff. de adm. tut. l. 1. §. 5. ff. de tutelæ & rationib. diſtrahendis.* Cœnatica vero, quæ quaſi pro cœna a provincialibus milites exigebant, *l. cœnaticorum.* 3. *Cod. de erogatione militaris annonæ.* Salgamum vero quod ad eſculenta condienda erogabatur, *l. un. Cod. de ſalgamo hoſpitib. non præſtando & 7. Cod. Theod.* 9. Poteſt & in hunc locum referri ſtellatura, hoc eſt annonæ dierum ſeptem aut earum pretium ex *l. 12. Cod. de erogatione militaris annonæ*: ubi Cujacius meminit ſportularum & eulogiarum. Quid autem Gleba, glebalis functio, deſcriptio, collatio, præſtatio, munus, Canon, penſio, Aurum glebale, oblatitium, coronarium, aut argentum, follis ſenatorius, & ſeptem ſolidorum præſtatio, vide apud *Cujacium* titulo Codicis de prætoribus & honore Præturæ & gleba & folli & ſeptem ſolidorum functione ſublata libro duodecimo, ἀερικὸν, ſeu tributum pro cœlo & ſpiritu aërio inventum a Michaële Paphlagone, teſte Cedreno & Procopio, φορὰ ἡ τεταγμένη ἀλλὰ τύχη τινὶ ὥσπερ ἐξ ἀέρος φερομένη. Equimentum quod pro equi in equam admiſſione datur, vid. Norium *cap.* 2. *num.* 9. nuptiale munus, *l. 13. §. 2. ff. de admin. tut. l. 1. §. 5. ff. de tutelæ & rat. diſtrah.* Hic conferri cupio Petrum Gregorium 27. *ſyntagm.* 2. quibus & alia longe plura in meis ad hunc locum Commentariis addam aliquando. 12 Portorii frumentarii Alexandrini ſumma 80000. ſolidi. Tranſmiſſio frumenti annua 80000.

priorібusque Ducalibus (ut dictum eſt) in unam coitionem conjunctionemque conſtata paret, portoriorum ſuſceptori per civitates atque loca,& ab hominibus ex Alexandria & utraque Ægypto in hoc delectis exactiones faciant. Cujuſmodi exactionem ipſe etiam portoriorum ſuſceptor ſimiliter faciet. Ut ſuo periculo (quomodo dictum eſt) præfectus Auguſtalis ac ipſius cohors una cum portoriorum [1] ſuſceptore hæc exigant. Ipſi vero harum rerum exactionis periculum etiam incumbit, ut irreprehenſibiliter aurum exigat,& in dictum uſum expendat,& prout hactenus moris fuit, navicularis [2] diſtribuat: una cum ipſo portoriorum ſuſceptore in omnibus labores & pericula ſuſtinente ſpectabili præfecto Auguſtali, cum ipſi parente cohorte, & fortiſſimis per illa loca conſtitutis cohortibus cum ſuis tribunis: quippe quia convenientis ſit, ut omnibus modis portoriorum ratio per contributionem ſuppleatur hæcque ſuſceptori dentur, qui convenienti conſuetoque modo illa diſpenſet, ac pro omni ſolemni illatione navicularis præbeat. Atque hæc quidem prima illi cura adminiſtratioque applicanda eſt ſolennis illationis & portoriorum.

CAP. IX.

SEcundo deinde loco excellentiam tuam & pro tempore hujus magiſtratus præfectum, ſcriniarios etiam & tractatores [3] & duos ex Ægypto & Alexandria curam habere volumus exactionis publicorum tributorum, in tribunalis tuæ excellentiæ utramque menſam, & privatam & publicam inferendorum, ex illis ſcilicet civitatibus, & ab illis perſonis horumque fidejuſſoribus & e locis quæ in hoc ſelecta ſunt, & ſacræ huic legislationi ſubjecta: ut nullo modo neque ſpectabilis præfectus Auguſtalis: neque quæ ipſi paret cohors, neque Dei amantiſſimus Alexandrinus Epiſcopus cujuſpiam publicæ exactionis rationem reddere vel exigere, aut etiam per qualemcunque cauſam indicta exactione, quæ ad excellentiæ tuæ menſas, aut ad homines ab illa delectos pertinet, communionem habere poſſit: præterquam ſi tractatores, quique in provincia illorum locum ſupplent, auxilii cauſa id fieri petierint. §. 1. Si enim hoc petant, aut ſi gloria tua, quique pro tempore eundem magiſtratum obtinebunt, id jubeant, neceſſe habebit præfectus pro tempore Auguſtalis, quique ſub ipſo ſacramento obſtricti milites ſunt, & horum tribuni, cohors etiam quæ eidem magnificentiſſimo Auguſtali apparet, & quodcunque civile publicumque auxilium, ut ſcriniariis tuis ſuppetias veniat: & ut omnes iſtiuſmodi illationibus utrique excellentiæ tribunalis tuæ menſæ competentibus obnoxii, citra omnem dilationem impoſita ſibi publica tributa inferant, neque contradicere audeant, faciat. §. 2. Ut enim qui in utraque Ægypto (excepta Mareota [4] & Menelaita urbe, de quibus in ſequentibus conveniens ſtatuemus) aut Alexandriæ habitant, iſtiusque modi illationibus obnoxii ſunt, ad dationem vultum obvertere, in alioque adverſari audeant: & ſpectabilis præfectus Auguſtalis militarem ſimul & civilem magiſtratum obtinens cohortiumque præpoſitus & tribuni illum aut illos qui debent, inferre, atque in fiſcum benevolos eſſe non coëgerint: ſciant, & ipſe magnificentiſſimus præfectus Auguſtalis, & quodcunque auxilium cujus paulo ante mentionem fecimus, ſe in ſingulis fiſco in partem eorum quæ debentur adjudicandis periclitaturos: qui vero contradicere auſi fuerint, bona ſua publicanda, ſeque a provincia ejiciendos eſſe. Manifeſtum vero ſit, quod in omnibus quæ ab excellentia tua decernentur, præfectus pro tempore Auguſtalis tuæ excellentiæ poteſtati ac imperio, prout hactenus moris fuit, ſubſuturus ſit.

CAP. X.

CÆterum ſi gloria tua, & ſcriniarii, aut tractatores, aut qui illorum locum ſupplent, in provincia fidem publicam nonnullis dari voluerint, pro illis ipſi periclitabuntur. Dabit tamen illam Dei amantiſſ. patriarcha [5] in tot dies atque in hunc modum, in quem ab excellentiæ tuæ magiſtratu juſſum, aut a tractatoribus petitum fuerit. Et ſi præter hæc publicas [6] fides detur, erit illa omnino irrita. Non enim quemquam præter hæc hominibus in quamque cauſam delectis fidem publicam dare concedimus, præterquam ſi quis in hoc fidem publicam capiat, ut in publico verſetur, & intra certos dies quicquid debet omnino fiſco perſolvat aut ſufficientem tractatoribus ſcriniariisve cautionem præſtet. Ad hoc, qui præter hæc fidem publicam quocunque modo ceperit, ſciat, æqualis cum iis qui non acceperunt conditionis ſit, intraque faciat ſepta exactionem ſuſtineat. §. 1. Verum ſi Dei amantiſſimus archiepiſcopus extra dictum modum fidem publicam dederit, neceſſario Dei amantiſſimi œconomi, & ſanctiſſimæ eccleſiæ defenſores, quod damnum fiſco hinc obortum fuerit, id agnitum de ſuo & de facultatibus ſuis reſarcient. Qui ſi ſat divites non fuerint, ex [7] ſanctiſſimæ eccleſiæ pecuniis & rebus fiſco ſatisfiet. §. 2. Quod ſi præter notitiam & voluntatem Dei amantiſſimi epiſcopi fidem publicam ipſi dare auſi fuerint, non modo ea omnino irrita erit: verumetiam ipſi fiſco damnum rependent: & beatiſſimus patriarcha, ſi quid præter voluntatem ipſius fecerint, omnino ipſos & ab officiis quæ habent removebit, & e ſacerdotio ejiciet. §. 3. Si vero magiſtratus quiſpiam contra vetita, cuipiam qui publica tributa tuis menſis aſſignata debeat, fidem publicam dederit, ſive præfectus Auguſtalis, ſive clariſſimi tribuni qui cohortibus præſunt, ſint, & a dignitate magiſtratuque removebitur, & fiſco privatus factus damnum reſarciet: idque non modo quum adhuc ſuperſit, verum etiam [8] ubi mortuus fuerit. Obnoxii enim ipſius heredes & facultates iſtiuſmodi exactionibus erunt, ut videlicet pœnarum metu nihil tale committatur, neque quiſpiam, priuſquam omne debitum perſolutum ſit, pœnam effugiat. §. 4. Item ſi quis ex iisdem civitatibus locisve in jus vocatum exemerit [9], aut exactioni impedimento ſit, oportet, & hunc in quantum exemptus tenebatur, obnoxium eſſe, ejusque exactionem cum heredibus, ſucceſſoribusque ſuis & in bonis ſuſtinere. Cæterum quibus (ut dictum eſt) omne periculum incumbit, (tractatoribus nempe & ſcriniariis) omnem ipſi poteſtatem procurationemque hujus rei habeant, totumque canonem qui ex dictis civitatibus, provinciis, atque locis menſis tuis infertur, ad menſas tuæ excellentiæ, tum publicam, tum privatam emittant, & quibus tu dari conſtitueris tradant.

CAP. XI.

STatuimus porro, ut ſpectabilis Præfectus Auguſtalis iis qui a ſolio tuo in hoc mittuntur, ſive tractatoribus, ſive ſcriniariis, ſive [10] qui ipſorum locum ſupplent, in provincia, fiſcum & exactionem ad publicam privatamque menſam inferendis, neceſſario opem ferant. §. 1. Et ſi quem ex dictis locis in fiſcum improbum eſſe, atque ut exactionem effugiat, tumultum [11] ciere contingat, volumus tractatori, ſive ſcriniario, ſive qui illorum locum obtinet, facultatem eſſe, ut hoc magnificentiſſimo præfecto Auguſtali manifeſtum faciat: qui ſuo cohortique ſibi apparentis periculo milites ſuccurrere rei inhibereque improbos, & quæ menſis debentur, exigere cogat: ut dum hæc per civilem militaremque manum perficiuntur, citra dilationem exigi, & in magnam hanc urbem [12] importari poſſint. Solent autem clariſſimi tribuni fortiſſimique milites, & maxime qui inter illos principatum obtinent, quod ſi hoc neglexerint, neque ut illa omnia quæ diximus facerent, curarint, de [13] annonis etiam periclitabuntur. Retinebuntur enim illæ a præfecto pro tempore Auguſtali, ipſiusque periculo menſis tuis inferentur. Tum & bonorum publicationem ſuſtinebunt clariſſimi ipſorum tribuni, quique inter ipſos primas tenent, qui ſane & capitale ſupplicium metuant: & univerſum agmen e provincia motum ultra Iſtrum flumen [14] ſive Danubium transferetur, ut in illorum locorum limitibus cuſtodiæ cauſa perſeveret. §. 2. Illi vero qui in fiſcum improbi fuerint, atque iſtiusmodi neceſſitatem expectarint, publicationem ac perpetuum exilium Sebaſtiam [15] & in Pityuſam (quæ in extremis * Euxini Ponti finibus eſt) deportati ſuſtinebunt. Eandem vero ſimilemque curam & occaſione largitionalium titulorum, omniumque quæ ad ſacras noſtras largitiones pertinent, ſpectabili *præfecto* Auguſtali imponimus, quæ quidem ab ipſo atque etiam ejus cohorte & Alexandriæ & per utramque Ægyptum debeant expediri. Etenim harum rerum hæc a nobis conſtituta procuratio eſt. Et conveniens eſt, ut ipſe ejusque cohors ſuo periculo largitionalium tributorum, omniumque cauſarum ad ſacras noſtras largitiones pertinentium exactionem curet: ut hujusmodi publicæ illationes, quæ ſacris noſtris theſauris applicantur, omni periculo ſpectabilem *præfectum* Auguſtalem ipſique obſecundantem cohortem concernente, & exigantur, & ſacris noſtris largitionibus inferantur. Si enim horum quicquam neglectum fuerit, periculum illi & de magiſtratu & de bonis imminebit: idque non ſolum dum in magiſtratu erit, ſed poſtmodum etiam quando magiſtratum depoſuerit: adeo ut illud periculum ad ſucceſſores quoque ejus, & heredes tranſiturum ſit. Donec enim quæcunque ex locis ipſi ſubjectis ſacris noſtris largitionibus debentur, expleta fuerint: non ipſe tantum hujusmodi exactionibus obſtrictus erit, verum [16] heredes etiam ejus & ſucceſſores. § 3. Sed neque aſylum [17] dabit quisquam iis qui ipſius jurisdictioni ſubſunt, præterquam ii qui exactionis periculum (ut dictum eſt) *ſuſtinent*, quæ fit periculo ſpectabilis pro tempore præfecti Auguſtalis, & obſecundantis ipſi cohortis. Pecuniæ autem devotis ſacrarum largitionum palatinis transfundendæ ſunt, quorum hæc res curæ incumbit, aut qui alioqui ad hoc a glorioſiſſimo præfecto inclyto huic magiſtratui præpoſito emittuntur. Neque contra ea quæ ante excepta ſunt, fidem publicam dare quisquam, aut in exactionibus impedimento eſſe poterit. §. 4. Devoti autem milites, & qui in agris, & qui in urbibus illis ſunt, paſſuri eadem ſunt, niſi ipſi quoque opem tulerint: omnibusque modis largitionales pecuniæ collectæ, ac iis qui in hoc miſſi fuerint, transfuſæ ſint, & denique tanta cum alacritate exactionem exercuerint, quantam in ea ab arcariis exhiberi præcepimus.

CAP. XII.

ILlud item ſpectabili præfecto Auguſtali tribuimus, ut ipſi & militibus, & regionis primoribus [18], & rerum fiſcalium ſub ipſius jurisdictione & poteſtate conſtitutarum exactoribus, in omnibus imperare licitum ſit: ut tamen regionis [19] primores, ſi aut circa frumentum, aut circa portoria [20] aut alias fiſcales res, quæ vel dictas cauſas vel ſumptus per provinciam faciendos concernant, improbuli atque refractarii ſint, pro imperio removere non poſſit. Si quid autem mali fecerint, non removebit quidem illos, ſed in cuſtodia conſtituet: delectisque circumſpecte aliis qui recte in negotio verſentur, omnia huc ſolio tuo, & per hoc porro imperatori nunciabit, quo nos omnia cognoſcentes, & de illorum qui recte in negotio verſati non ſunt ejectione, & delectorum regionis primorum [21] (ſi videbitur) inſitione, eorumque quæ ad regionis [22] primatum ac primorum bona pertinent traditione, quod æquum & conveniens ſit, ſtatuamus. §. 1. Sed & qui Alexandriæ & per utramque Ægyptum rempublicam adminiſtrant, omnesque etiam qui tributa ipſius exactionibus aſſignata in locis ipſi ſubjectis tractant, ipſius imperio ſuberunt. Quin & in alias quascunque provincias ipſi non ſubjectas, & ut *debitores* ad ſe adducat, & fiſcalia exigat concedere: & ſi qui, quum Alexandriæ aut in duabus Ægyptis poſſeſſiones habeant, alibi degant, aut in provinciis ipſi non ſubjectis habitent, hos in provinciam quam deſeruerunt (quo rebus fiſcalibus ipſi ſubjectis nihil impedimenti obveniat) reducere illi liberum fuerit. Quod idem faciet, ſi quas ad menſas tuas pertinentia debeant, & tractatores, quive illorum locum ſupplent, aut qui exactionibus publicis privatisve tuis menſis inferendis incumbunt, tale quippiam ipſi ſignificarint. Nam & tunc ad eundem modum & emittere & adducere hos debebit, ut a tractatoribus tuis exactionem ſuſtineant. Non poterunt autem debitores, quum in aliis locis ſunt, in fiſcalium rerum cauſa præfectum Auguſtalem exceptione ſubmovere, quaſi competens ipſorum judex non ſit, quod ſane & in largitionalibus exactionibus fieri volumus.

CAP. XIII.

REſtat ea exactionum cura quam ſpectabilis præfectus Auguſtalis ipſique obſecundans cohors militaribus impenſurus eſt ſumptibus, iis qui Alexandriæ, quique in duabus [23] *ſubibuntur* Ægyptis, tum

1 Ἀποδέκτῃ τῶν ναύλων. 2 Ναυκλήροις. 3 Τρακτευτάς. 4 Vid. cap. 17. & ſeq. 5 Πατριάρχης. 6 Γένοιτο τὶς λόγου δόσις. vid. *Edict.* 2. §. eod. 7 Privati culpa nocet interdum eccleſiæ, facit *l.* 10. *in fin. C. de ſacr. eccl.* adde *cap.* 76. *de reg. in* 6. 8 Delicti nomine, in bona defuncti ad pœnam agere poſſumus, licet alias regulariter crimen morte finiatur. dixi ad *Novell.* 22. *cap.* 20. 9 *l.* 1. *ff. ne quis eum qui in jus vocat. Nov.* 30. *c.* 11. *in fin. princ.* 10 Eadem fides in ſucceſſore requiritur, quæ in auctore. 11 Coërcitio tumultum cientis ob frumenta. 12 Conſtantinopolim ſcilicet. 13 *Un prince peut arreſter les gages de ſes officiers, & ſe payer ſur iceux de ſon deu.* 14 Iſter ſive Danubius. 15 Σεβαστοπολιτῶν καὶ Πιτυούντων, Sebaſtopolis & Pityuſa ad Pontum Euxinum ſitæ fuerunt. 16 Heres facto defuncti tenetur. *l. cum a matre.* 14. *C. de rei vindicat.* 17 Λόγον ἀσυλίας, vid. *Edict.* 2. §. *eod.* 18 Πατριάρχαις. 19 Πατριάρχας. 20 Ναῦλα. 21 Πατριάρχων. 22 Πατριαρχίας. 23 De utraque Ægypto dixi *cap.* 1. *ſupr. eod.*

etiam

etiam civilibus ſolennibusque magnæ [1] Alexandrinorum urbis & utriusque Ægypti tributis. Erit igitur ſpectabilis præfecti Auguſtalis ipſique obſecundantis cohortis, ut hæc ſuo periculo & exigant, & tradant, neque eam rem amplius tuæ excellentiæ ſcriniarius exequetur, quem quod res militares adminiſtret, στρατιώτην [2] Ægyptii nuncupant. Atque hic quidem in univerſum definet: ſpectabilis autem præfectus Auguſtalis, ipſique obſecundans cohors, quibuscunque voluerit modis, ſuo periculo exactionem faciet, omnibusque devotis militibus qui Alexandriæ ſtationem habent, ſumptus ſuppeditabit, eos ſuo periculo a ſubjectis locis & civitatibus exigens.

CAP. XIV.

COges porro pro tempore Alexandrinum vindicem [3], ut quos ſumptus facit, eos omnes in accendendis calefaciendisque publicis balneis, ac aliis omnibus civilibus ſolemnibus faciat, qui quidem *ſumptus* ſacræ huic noſtræ legi expreſſe omnes ſubjecti ſunt, quæ deſcriptio hoc quoque evidenter declarabit, ex cujuſmodi locis, atque titulis, ſive cauſis, & perſonis hi colligantur, deinde quanti ſint, quemque ad modum diſpenſari debeant: ſolennes ſumptus videlicet, & quotquot in duabus Ægyptis civiles [4] ſunt, qui civitatibus periculo peculiaris harum provinciarum magiſtratus porriguntur. In iis vero qui a ſpectabili præfecto Auguſtali ipſius cohortisque periculo diſpenſabuntur, fidem [5] publicam dandi, & quæcunque negotio conducere putaverit, faciendi facultatem habebit: quippe cum periculum in ipſum ejusque cohortem omne concedat, ut tamen qui ſumptus Alexandriæ fiunt, per illos qui hactenus eos faciunt, ſervata conſuetudine fiant. §. 1. Nullus autem hoc prætextu, quod ſpectabili præfecto Auguſtali non ſubſit, neque vero etiam ipſe ſpectabilis Auguſtalis, neque ejus cohors improbitatem aliquam inceptent, fraudemve quampiam aut in illationibus aut in frumenti ſolenniter illati transvectionibus committant: ſed pure rem tractent, eoque modo quo quam maxime reipublicæ & proſpiciant & commodent: expendentes quam ea res neceſſaria atque inevitabilis ſit: & ſcientes etiam quod extremo [6] ſupplicio obnoxii erunt, ſi quid hac in re non ſolum maleficioſe perpetrarint, verumetiam vafre quicquam & per commentum egerint.

CAP. XV.

ENimvero illud etiam quod ab excellentia tua ad nos relatum eſt, in hac lege inſcribendum eſſe duximus. Gloria enim tua, in dicta civitate Alexandria omnia perſcrutata invenit in tabula, quæ temporibus Anaſtaſii pientiſſimi principis confecta fuit, quando Marianus vir inclytus ſub ipſo res adminiſtrabat, extitiſſe tabulam publicam, quum vindicis [7] in modum Potamon fiſcalibus Alexandrinis præeſſet, qua in tabula [8] deſcriptus eſſet rerum exportandarum titulus, qui diverſis cauſis mille * aureos ita expenſos ferret: quadringentos nonaginta duos publicis ejusdem civitatis balneis: quadringentos item & undeviginti anticantharo [9], ut vocant: quingentos poſtremo & quinquaginta octo cum dimidio, portoriorum [10] ſuſceptori: ut deſcripta ſumma in mille quadringentos ſexaginta novem aureos exurgat. Deinde vero ab iis qui rempublicam adminiſtrant, in eandem rerum exportandarum cauſam aureos centum perceptos eſſe. Præfectum autem pro tempore Auguſtalem pro triginta ſex pullis equinis trecentos & viginti aureos accepiſſe. Similiter præbere dictæ Alexandriæ civitatis equeſtribus [11] ludis. Atque hanc quidem formam eſſe non ſolum magiſtratus illuſtriſſimi Strategii [12], verum etiam usque ad ſecundam indictionem præteriti circuli (quæ fuit ante annos quindecim) duraſſe. Ex eo autem tempore quorundam negligentia, aliorum autem dolo malo, plurimorum vero etiam furto eam rem paulatim imminutam, & publicas balneas illas quadringentorum nonaginta duorum aureorum ſumma, portoria autem quingentorum quinquaginta octo, & ſemiſſis aureorum illatione defraudata eſſe: idque occaſione illis data, quod nonnulli partim ex Principis aula, partim ex ſoliis tuis facultatem ſibi pararent, ut gratis e dicta civitate Alexandria tegulas [13] aliasque ſpecies, quæ iſtiusmodi tributo obnoxiæ ſunt, exportarent. Atque ita quidem memoratam civitatem paulatim eſſe depauperatam.

CAP. XVI.

EXcellentiam itaque tuam & in his animum intendentem amplexati, ſtatuimus, ne aliquibus iſtiusmodi ſacra Principalis forma data quicquam utilitatis adferat, ſed omnes agnoſcant, quod usque ad illuſtriſſimi illius Strategii [14] tempora dare conſueverunt: ne etiam ſpectabilis præfectus Auguſtalis majores ſumptus faciat, quam antea & temporibus illuſtriſſimi Strategii fieri ſoliti ſunt: neque novo aliquo commento tributa illa attingat, ſibique vindicet: ſed vetus forma quæ usque ad Strategium illuſtriſſimum illum & ipſum obtinuit, cuſtodiatur. ne denique pro tempore Auguſtali contentionis occaſio detur, ut hic quod nihil ceperit, ille vero quod minus ceperit, dicat: ſed ex univerſa ſumma mille octingentorum & undenonaginta aureorum aurei trecenti & undeſeptuaginta leventur & demantur. Aliquanto enim benignius quam pro exactiore jure agere, & ob copias præfecto pro tempore Auguſtali colligendas, alios mille quingentos & viginti aureos ſolos ex titulo inferri volumus, quibus ex aureis trecentos illos & viginti aureos occaſione triginta ſex pullorum, quos ex antiqua conſuetudine Alexandrinis equeſtribus ludis ſuppeditare tenetur, ſpectabilis præfectus Auguſtalis ſibi imputabit. Reliquos vero mille ducentos aureos, eidem in annonas ipſius annumerari volumus. Atque ita quidem ea res non difficilis ſolutu fuerit, & priſtinam rationem ſervabit, neque ulli prorſus ad dolum malum feneſtra aperietur.

† De publicarum autem balnearum calefactione, & anticantharo [15], & publicis portoriis, ex aliis cauſis deſcriptio in hac ſacra lege adhuc inſtituetur.

CAP. XVII.

QUoniam vero Mareotam [16] Libyco [17] tractui ſubjecimus & nonnullos Alexandrinos in popularibus ſeditionibus deprehenſos, quo ſibi inferendas a ſpectabili præfecto Auguſtali pœnas effugiant, illuc profugere conſtat: ſtatuimus, ut pro tempore ſpectabili Auguſtali facultas ſit, ut ob hanc cauſam, & quidem ſolam, commentarienſem [18] illuc mittat, qui ad eum qui clariſſimi provinciæ Libyæ præſidis locum obtinebit, cum publicis [19] literis proficiſcatur, quo illos & comprehendat, & per cohortes militesque qui ſub ipſo ſunt, tradat: ut nemo qui Alexandriæ publicos tumultus moverit, illuc confugiat, & ſpectabilis præfecti Auguſtalis pœnas evitet. Inſuper & illi ipſi qui iſtis partibus præfuerit, facultas erit, ut ſi quos tales inveniat, eos & comprehendat, & caſtiget, atque etiam ** publice manu emittat, & liberet. In his itaque dictum magiſtratum circumſcribimus, quæque in hac lege explicavimus, hæc illi facienda injungimus. Sic enim cura ipſi rei facile par, contracta etiam undique neque confuſa fuerit, nullamque ad confuſionem furtumque propenſis maleficii occaſionem præbebit.

CAP. XVIII.

HInc nos cura Libycorum limitum vocat, quos ad Paratonium [20] conſtituimus, collocata inibi militari manu, quæ in illis locis barbaros compeſcat. Spectabilem enim Libyæ ducem (ut dictum eſt) per Paratonium, & per ſubjectas illi civitates (in quibus qui ſub ipſo ſunt milites, ipſius juſſis obſequentur) velut ſtativa caſtra obtinere volumus. Percipiet autem ipſe attributas ſibi annonas, ut pro annonis, quæ in ſpeciebus ſunt, nonaginta, proque capitibus centum & viginti aureos conſequatur ſupra mille quinque & quadrantem: pro annonis autem, quæ in auro conſiſtunt, quinquaginta: ac pro totidem capitibus, aureos quadringentos. Ipſi item obſecundans cohors habebit aureos centum octoginta ſeptem. Et milites qui videlicet ex his Libybus [21] Juſtinianeis, quique apud aliquam Juſtinianearum cohortium dictis locis aſſignatarum ſunt, ſuas annonas, quemadmodum reſpublica ipſis conſtituit, percepturi ſunt. Manifeſtum *interim ſit*, quod & omnia ſolennia quæ civitatibus ipſis aſſignatis *dari ſolent*, quo modo hactenus data ſunt, deinceps *ipſis* dabuntur. Similiter vero & provincialis magiſtratus, obſecundansque ipſi cohors, ſuas annonas habebit. §. 1. Verum quoniam, ſi quis omnes hoſce ſumptus ſupputet, non paria neque ſufficientia futura ſint quæ ex locis ipſi ſubjectis, ſive ex Libyum provincia inferuntur: idcirco neceſſarium eſſe duximus, ut Mareotam [22] (quomodo dicitur) & Menelaitam urbem [23] (quæ ante Ægyptiacam provinciam ſita eſt) ipſi adjiceremus. Efficere enim alioqui nequeat ut e publico militibus ſub ipſo conſtitutis ſalarium ſuppeditetur, ſi, quæ danda ſunt, aliunde pendeant, ac ſub alio magiſtratu contribuantur: tum etiam hinc ex diverſitate magiſtratuum innumeræ ſolicitudines atque tumultus eſſent exorituri. Atque ille quidem dictis locis præerit, tu vero tuo periculo, tibique obſecundans cohors, & civilis magiſtratus, una cum cohorte, exactionem perficietis, & quod collegeritis, militibus vobisque ipſis diſtribuetis, ut ipſorum & ſumptus, & annonæ hinc conficiantur, proprio periculo exactione illorum facienda.

CAP. XIX.

NE vero hic cuiquam excogitandi, quomodo aut majores ſumptus faciat, aut minorem illationem colligat, occaſionem demus: hac etiam re decenter conſtituta, per ſubjectam huic ſacræ legi deſcriptionem manifeſtum fecimus, quatenus ſit canon qui & ex dictis provinciis locisque, & ex Libya ipſa, Mareota etiam, Menelaitaque urbe illatus, ad tribunal tuæ excellentiæ defertur: tum etiam quanti ſunt ſumptus quos circa magiſtratus, cohortes, ſolennia, & devotorum militum alimoniam fieri conveniret. Spectabilis autem præfectus Auguſtalis, ipſiusve cohors, aut quicunque alius provincialis magiſtratus cum dicto duce in ſubjectis ipſi provinciis, civitatibus & locis nullam omnino cujusquam rei communitatem habebit. Verum ipſe ſpectabilis dux & civilis Libyæ magiſtratus in dictis locis, tum in pecuniariis & criminalibus cauſis, tum etiam in publicis exactionibus omnem poteſtatem obtinebit, ut quæcunque in Libya ſunt, & omnes qui illa loca poſſident, in ſuis quisque poſſeſſionibus, & qui incolæ ſunt etiam ſpectabili duci ſubjecti ſint. Adeo ut tametſi qui ſub dictis civitatibus aut locis quibus ſpectabilis dux præeſt, poſſeſſiones habent, in aliis provinciis habitent, ſimiliter tamen in publicis exactionibus ipſi ſubjici velimus: ut poteſtatem habeat, ut ad ipſos exactores emittat, omniaque quæ exactionis ratio poſtulat, faciat.

CAP. XX.

POrro quia etiam ſacræ noſtræ largitiones ex his provinciis atque locis, quæ dicto Libycorum limitum duci parent, nonnulla recipiunt, nosque æqualem atque ſimilem illis curam impendimus: ſancimus, ut dictus Libyæ, & Mareotæ, Menelaitæque urbis (hæc enim illi adjecimus) ſpectabilis dux [24], & provinciæ præſes cum obſecundante ipſi cohorte ſuo periculo largitionalium pecuniarum, quæ ex omnibus dictis debentur locis, exactionem faciat: ita ut plenæ illæ, citraque ullum defectum quotannis exigantur, & ab ipſis Alexandriam emittantur: porroque cui pro tempore ex devotis palatinis, ut illic præpoſiti officium adimpleat, commiſſum fuerit, tradantur: qui ipſis auxilium ferre debebit, ſciens quod niſi has res omnibus modis curaverit, in idem cum duce, præſide, & obſecundantibus ipſis cohortibus periculum incidet. In hoc etiam milites ſuppetias venient: & niſi id fecerint, in periculo erunt, ne easdem pœnas ſubeant quas Alexandriæ, & in utraque Ægypto conſtitutis militibus, niſi & ipſi eam rem æquali cura dignarentur, impoſuimus. Neque vero præter cauſas ſuperius exceptas præterque devotorum dicti magiſtratus palatinorum voluntatem, qui a ſuo pro tempore præfecto ad exactionem publicorum largitionalium omnino emittuntur, aliquæ ſecuritatis promiſſiones in largitionalibus cauſis dari poterunt: ſed e diverſo, in iis [25] etiam locis quæ aſyla appellantur, exactio exercebitur, omniaque alia ſimiliter per Libyam, Mareotam, Menelaitamque Ægyptiacam civitatem in largitionalibus exactionibus exigentur, quemadmodum Alexandriæ atque in utraque Ægypto arcariarum exactionum occaſione fieri oportere diximus.

1 Alexandriam vocat Ammianus 22. verticem omnium civitatum Ægypti. inter cætera aër Alexandrinus laudatur ab eodem. Nullo, inquit, pene die incolentes hanc civitatem ſolem ſerenum non vident. adde 5. Plin. 10. 2 Stratiota Ægypti, quem & στρατήγιον videtur appellare; *cap.* 15. 16. §. *eod.* 3 Βίνδικα, de vindicibus alias dixi. 4 Civiles ſumptus πολιτικὰ δαπανήματα. 5 Λόγον. 6 Id eſt, morte. vid. *l.* 21. *ff. de pœnis.* 7 Κατὰ τοῦ βίνδικος σχῆμα. 8 Tabula rerum exportandarum, vid. *l.* 1. *l.* 2. *C. quæ res exportari non debeant.* 9 Τῷ καλουμένῳ ἀντικανθάρῳ. Ἀντικάνθαρος, navigii genus, ut κάνθαρος. Anticanthari fit mentio, *infr. c.* 16. *in fin.* 10 Ἀποδέκτῃ τῶν ναύλων. 11 Τῇ ἱπποδρομίᾳ. 12 Τοῦ στρατηγίου. 13 Tegulæ Alexandria Conſtantinopolim adportari ſolitæ. 14 Στρατηγίου. 15 Ἀντικανθάρῳ dixi ad *cap.* 15. §. *eod.* 16 Vid. *cap.* 1. 9. §. 2. §. *eod.* 17 Libycus tractus, provinciæ Ægypti, eaque duplex Libya ſiccior & Pentapolis, cujus urbes præcipuæ Cyrenæ, Ptolemais, Arſinoë (quæ & Teuchira) Dornis, & Berenice. Illius Parætonion, Cherecia & Neapolis. vid. Ammian. 22. *in fin.* 18 Κομμενταρήσιον. 19 Μετὰ δημοσίας ἐπιστολῆς. De literis requiſitoriis & earum negotiis in criminalibus uſu, alias dixi. 20 Quæ & Parætonium Ptolomæo *in Africa*: & Plinio 5. *cap.* 6. Parætonium Ammian. 22. 21 Λιβύων Ἰουστινιανῶν. 22 De Libya Mareotide, dixi *cap.* 1. §. 2. §. *eod.* vid. 5. Plin. 6. 23 De qua dixi *cap.* 5. *ſupr. eod.* fuit cognominata a Menelao, cum antea Canopus diceretur. Ammian. 22. *in fin.* 24 De duce Libyæ Mareotæ, & Menelaitæ urbis. 25 Ἔνδον τῶν ἀσύλων χωρίων.

CAP.